



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Isagoge Ad Amorem Divinvm

**Pennequin, Pierre**

**Antverpiae, 1661**

2. Exemplum Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

ctis, papiliones persequantur? Filioli, inquit, ut quid diligitis vanitatē, & quæritis mendacium? Sapientissimus Job, & post illum cælestibus visis edoctus S. Paulus ea quæ amas, umbras vocant; quin tu eorum iudiciis tuum conformas? Quin potius cælum mente conscendis, & beatarum mentium erga Deum ambrem, & venerationem fidei oculo contueris, & illa Psalmistæ verba appendis: Magnus Dominus & laudabilis in civitate Dei nostri? Eorum, quæso, te laudibus adjuuge, & modò incipe quod totâ æternitate facturus es.

Cap. 24.  
1. Cor. 7.  
Psalm. 99.  
4.  
Cujus famulatus in tuam redit utilitatem.

Perluade tibi, quod S. Augustinus monet, Deum scilicet salutis tuæ cupidum & quodammodo avarum, nec laudibus tuis aut honoribus obsequijsvè crescere, nec vituperijs decrescere; sed totum quod illi amoris & venerationis exhibes, emolumentis tuis accedere. Cole tamen illū, ama, & revere, quia dignus est, & quidquid obsequiorum interiūs, exteriusque colligere potes, ad illum transfer. Nec externo cultu contentus esto, ne sis ad instar parietis dealbati, aut vasis externâ specie pretiosi, quod terrâ argillayè, vel potius luto refertum oculis spectantium illudit. Deum veritatis amatorem in veritate venerare.

### 7. Stimulus. Exemplum Christi.

Ille suo nos exemplo ad perfectum amorem, virtutumque ardens studium invitat: illum nos intueri continuò vult S. Augustinus, tanquam amoris sponsam, qui animas nostras deformes & peccatorum sordibus inquinatas adamavit, atque ut eas pulchras redderet, tantum laboris, suppliciorumque patienter tulit: cur in laboris communionem pro eadē pulchritudine conservanda, agēdaque non accedimus, non tam ut nobis quàm ut illi, qui id impensè desiderat, gratificemur?

Multis titulis corpus & animā Christo debes, non aliter quàm si aliquis Regi suo pro milione auri, quatuor nominibus esset obstrictus, 1. Ut tantam summam furto antè sublatam restituat. 2. Ut damnum, quod majus intulit, compenset. 3. Ut commodatum refundat. 4. Ut emptæ rei pretium persolvat. Quòd si Rex rei familiaris angustias in illo homine intuens, ejusque miseris totam summam benignè remitteret, dummodò duos obolos, quod facile potest, appendat; insulsū & ingratum illū existimares, si illos regi cōtinuò & perlibèter non offerret: Corpus & animam habes, velut obolos, & quos cum injuria Christi, qui pretio

5.  
2. Exemplum Christi.  
Psalm. 99.

6.  
Cui nos debemus.

pretio sanguinis eos sibi vindicavit, diaboli per peccatum oppignerasti; cur non illos statim restituis? Tua vita vitæ Christi comparata sic se habet, sicut vita culicis ad vitam hominis; ille suam pro tua dedit, cur illi tuam vicissim non impendis? Ama me,

Lib. 1. c. 1.

ait S. Brigittæ, plusquam Patrem, & Matrem; plusquam liberos tuos, & quidquid in mundo habes charissimum; quia ego te plus amavi; & amor amore compenlandus est. Sed amandus est Deus, non verbo tantum & linguâ; ut monet S. Joannes; sed opere, & veritate. An tu Regi gemmas adulterinas, & puerilia crepundia offerre audeas? Vide quæso, qualia donaria, qualemque amorem in ara cordis tui singulis diebus repræsentantes Deo. A liberis suis prodigi, & dissipari pecuniam, quam magno labore compararunt, ægerrimè ferunt parentes: quantis angoribus, & supplicijs tibi gratias ad operandum necessarias promeruit Christus, quas tamen socorditer negligis? Christi in te similitudinem expressissent, si debitè illis uti voluisses: nunc earum neglectus, & contemptio fecit, ut actionibus tuis monstrum potius, quàm Christum repræsentes. S. Gregorius Nyssenus præcipuum Christiani officium esse ait, moribus suis, & quotidianis actionibus Christum exprimere.

7.  
Ob paratas tibi o-  
pes spiri-  
tuales.

De forma  
Christia-  
ni.

Et quemadmodum non ferrent aulici regis dignitatis tuenda studeosi, ab aliquo pictore Regis pulcherrimi effigiem deformem exhiberi, quæ apud illos qui Regem formosissimum esse inaudierant, multum de opinione diminueret. Ita nec beati spiritus Christianum moribus inquinatum, & alia omnia potius, quàm Christum repræsentantem æquanimiter non ferunt. Qui se sanguine prognatum regio gloriatur, si scurræ ludibria imitator, injuriam facit Regi, ejusque in se iram provocat. Alexander Magnus ignavo militi, qui Alexander appellabatur; Aut nomen illud, inquit, desere, aut generosius age. Id ipsum tibi à Christo, si Christianismum vè cordiâ deturpas, dici existima.

### 3. Stimulus à beneficijs Dei.

Tunc, ait S. Ambrosius, oblitus visceris Dominum, cum oblitus fueris tui: si autem agnoscas, infirmum te esse, cognosces Deum esse super omnia, & immemor esse non poteris; ut ei debitam reverentiam solvas: Totus scilicet es beneficium; atque totum te, nisi ingrati notam velis incurrere, Dei obsequio, amorique debes impendere. Guilielmus Parisiensis nos circumdari beneficijs, tanquam igne copioso existimat;